In sole posuit tabernaculum suum et ipse tamquam
sponsus: procedens de thalamo suo. Exultavit
ut gygas ad currendam viam: a summo celo
egressio eius. Et occursus eius usque ad sum-
mum eius: nec est qui se abscondat a calore eius.
Lex domini inmaculata convertens animas testi-
monium domini fidele: sapientiam prestans par-
vulis. Iusticie domini recte letificantes corda pre-
ceptum domini lucidum illuminans oculos.
Timor domini sanctus permanens in seculum se-
culi iudicia domini vera iustificata in semetipsa.
Desiderabilia super aurum et lapidem preciosum
multum: et dulciora super mel et favum. Et
enim servus tuus custodit ea: in custodiendis illis
retributio multa. Delicta quis intelligit ab occul-
tis meis munda me: et ab alienis parce servo tuo.
Si mei non fuerint dominati tunc inmaculatus
ero: et emundabor a delicto maximo. Et erunt
ut complaceant eloquia oris mei et meditatio
cordis mei in conspectu tuo semper. D[illegible]
adiutor meus et redemptor meus. G[illegible]
Exaudiat te dominus in die [illegible]
tribulationis protegat te nom[illegible]
[illegible]tat tibi auxilium de sancto: et de [illegible]
[illegible] Memor sit omnis sacrificii [illegible]
[illegible]caustum tuum pingue fiat. Tribu[illegible]
secundum cor tuum: et omne consili[illegible]
confirmet. Letabimur in salutari [illegible]